Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift



uiri ethiopes. qui me flagris cedebant dicentes. Non possum
hic iam ullam potestatem habere. quia uenit homo ille quem persequi
cogitabas. Et nunc in hac nocte in qua adhuc potestatem habemus ulcis
cimur nos inte. et sic cesum relinquentes grauiter recesserunt a me. Nunc autem
tu uir dei deprecare dominum. ut dimittens mihi hoc delictum saner
ab infirmitate quam teneor. Hec eo coram omni populo narrante.
beatus apostolus predicabat assidue uerbum dei. et credebant omnes. Pro
sul uero sanatus credidit. et corroboratus est in fide. XXIII.

Igitur trofime. que quondam concubina procuratoris fuerat. et
alio iam uiro sociata erat. reliquit uirum suum. et adherebat
apostolice doctrine. et ob hoc plerumque in domum procuratoris ueniebat.
in qua uigiliter docebat apostolus. Iratus autem uir eius. uenit ad dominam
suam dicens. Trofime recolis scortum. quod cum domino meo procuratore
agere consueuerat. ei nunc iterato commiscetur. At illa sucensa felle
ait. Id circo quod me reliquit uir meus. etiam sex mensibus non coniugitur
mihi. eo quod diligat ancillam suam. Et uocato procuratore iussit
eam scorto dampnari. Hec mora deducitur ad lupanar a lenoni
donatur. sed nihil horum libidinis sciebat. Requirens tamen eam ab uxore delu
debatur. At illa ingressa lupanar orabat assidue. Cumque uenissent
quidam eam corrumpere cupiebant ponebat euangelium quod secum habebat ad pectus
suum. et statim omnes uires perdebant. Accedens ad eam quidam iuuenis
impudicissime ueniens ut illuderet ei. resistente autem ea
disrupit uestimenta eius. et cecidit euangelium ad terram. Trofime
uero lacrimans. extensis ad celum manibus dixit. Ne patiaris me
domine pollui. ob cuius nomen diligo castitatem. Et statim apparuit
ei angelus domini. et iuuenis cecidit ante pedes eius. et mortu